Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio
Eq: Zulichemi Dno C. Barlaeus S.P.D.

ACAD.
LUGD.BAT.
BIBL.

Valde me recrearunt Epigrammata tua, Nobilissime Hugeni, nec minus Constantini tui. Totis mihi modijs admetiris versus, tota me domestica supellectile donas, ut ostendas, quantis ego rebus impar sim. Expendi cum Satrapa et D. Vicofortio acumina tua et pleraq. reperi non esse vulgaris saporis. Eam acrimoniam et cuspides subtilissimas clausulae eo vergunt. Risimus omnes ad urinam Gandavensis poetae. Pro meditationibus tuis Organicis gratias ago maximas. Perfricas subinde nigro sale templorum eos. Quam illud est hypertropicum: perinde tibi esse, an audias phaleratis et calamistratis verbis dicentem concionatorem, an cristatum plumisq. in suggestu insignem videas. Etiam istud vatum genus irritabile est. Monitis et cautionibus optimis abundat libellus. Verum, si bene calculum posui, non facile correctionem impetrabis, cum ineptias suas etiam sacras, coelestes aeque amant. Nec emendationem admittent Theologi, praesertim à politico. Quod medicorum est promittant medici, tractent fabrilia fabri. Animalis, inquiunt, homo non percipit ea, quae sunt Dei. Spiritualis diiudicat omnia. Hae Ecclesiastici ordinis axiomata sunt & communes notiones. Si velis ad te redire, quem misisti Epigrammatum fasciculum, significa per D. Vicofortium. Sed hoc unice velim, mi Hugeni, ut Epigrammata tua omnia colligas in unum. ne turbata volent levibus ludibria ventis. Magnam vim habes huius annonae. Collecta ede in lucem, erunt pro acetarijs fastidientibus stomachis. Sunt

Ut et Meteorologica tua

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 142
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

inter illa plurima, quae Bilbilim obtundunt. Non debebas
amicissime, auribus laborare, qui crassas habuisti nunquam.
Si purulentae sunt, aperto apostemate, cogita nares
tibi esse emunctissimas. Valetudinem tibi quavis corporis
parte validam ex animo comprecor. Filiorum quadrigam
saluta. Constantino respondebo intra dies paucilos.
Vale Vir maxime, nec odisse velis unquam, qui te
virtutesque tuas deperit, imò pro interula habet.
Sic; Pectoris ingenui virtus, interprete te, fit
Proxima, candori proxima simplicitas.

Raptim Febr. XXVI. An. CIƆIƆCXLI. Amstelod.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 142
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 142
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657

Nobilissimo Viro D. Constantino
Hugenio Eq. Zulichemi
Domino &c.

Hagam

4 amicissimum

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 142
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2657